



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Ostiensis Episcopo, apostolicae sedis Legato.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

venerabilis frater noster Octavianus Ostiensis Episcopus apostolicae sedis Legatus tibi poterit plenius explicare, nec nobis nec tibi nec regno tuo etiam expediret; cum si, quod absit, imperium obtineret, saltem occasione nepotis ad regnum Siciliae ardentius aspiraret, cum ad illud jam manifestis indiciis ardentem aspires. Quod autem huiusmodi unio vel confusio potius non expediat regno tuo, satis intelligit regia serenitas per seipsam. Promotionem autem alterius ad honorem & commodum regni tui credimus pertinere, cum inter eum & carissimum in Christo filium nostrum Lodovicum filium tuum affinitatis vinculum sit contractum, & inter te & carissimum in Christo filium nostrum Iohannem Anglorum Regem illustrem per Dei gratiam plena pacis sit concordia reformata. Praeterea nos tam sumus certi de ipso quod profortanda & servanda tecum concordia mandatis nostris & consiliis acquiescet; nec nos ut fidei iustiores, si necesse fuerit, inter te & ipsum constituere recusamus. Cum igitur negotium ipsum dilationem non capiat, cum nobis a plurimis detraharer creditibus & dicentibus eis quod nos huiusmodi discordiam foveamus, cum jam te duxerimus requirendum, nec duobus ad habendum simul imperium favere possimus, nec credamus tam personae in impetio quam imperio in persona, sicut expedit, providendum, disposuimus manifeste de cetero reprobare factum alterius propter multas rationabiles causas, & personam reliqui approbare. Monemus igitur serenitatem regiam & exhortamur attentius & consulumus bono zelo quatenus ea quae praedictus Episcopus apostolicae sedis Legatus, qui ad honorem tuum & profectum intendit, tibi ex parte nostra proponet, audiat diligenter & exaudiat hilariter regia celsitudo, & monitis & consiliis eius, immo nostris verius, acquiescat; & ut nobiscum dante Domino super instanti negotio valeas praevalere, teneas occultum, sicut de tua discretione confidimus, quod super his regali magnificentiae duximus intimandum. Datum ut supra.

OSTIENSI EPISCOPO,  
*apostolicae sedis Legato.*

Epist. 48.

**G**Audemus in Domino & tuae fraternitatis prudentiam commendamus quod ad ea feliciter consummanda quae vel tibi sunt a nobis iuncta, vel quae de beneplacito nostro procedere intelligis per te ipsum, impendis studium diligens & operam efficacem. Accepimus siquidem ex litteris tuis quod licet carissimum in Christo filium nostrum Philippum Francorum Regem illustrem super negotio imperij primo inveneris nimis gravem, utpote qui per domum Anglicanam sibi multa evenisse gravamina recolebat, sperans tamen, tum eo quod nobis placere desiderat, tum quia tuis libenter consiliis acquiescit, tum etiam quia mediatores inter ipsum & alium bonos habes, quod ad nostrum beneplacitum inclinaret, si indemnitati eius per cautelam nostrae providentiae consulatur. Vnde per easdem litteras consulebas quod ipsi & tibi super hoc nostras litteras mittere.

Tom. I.

mus. Quid igitur ipsi scribamus ex transcripto litterarum, quod tibi praesentibus mittimus interclusum, tua poterit discretioni patere. Monemus igitur fraternitatem tuam & exhortamur attentius & per apostolica tibi scripta mandamus quatenus apud Regem ipsum interponas efficaciter partes tuas ut super hoc monitis nostris & consiliis acquiescat, cum sufficienter velimus ejus indemnitati cavere, & dispositionem nostram ad honorem, profectum, & gloriam ejus pertinere credamus. Sanè cum dependit Ecclesiae, quae nec vult nec debet diutius idoneo defensore carere, sustinere non debeamus ulterius nec negligere incommoda populi Christiani, cum diu expectaverimus, cum praemonuerimus Principes, cum eis etiam consilium nostrum per proprium nuntium & litteras duxerimus exponendum, nec profecerimus apud ipsos, de communi consilio fratrum nostrorum statuimus quod per rescriptum litterarum directarum ad Principes Alamanniae negotium istud plenarie continentium plenè poterit tuae discretionis patere, cum illud tibi mittamus praesentibus litteris interclusum. Quia vero per tuas nobis litteras intimasti ut si crederemus forsitan expedire, apostolicis tibi litteris mandarem quod Archiepiscopos & Episcopos Alamanniae ad tuam praesentiam convocare, quatenus si animus Regis ad nostrum posses desiderium inclinare, nostrum eis beneplacitum aperires, volumus & mandamus ut si a negotiis illis quae tibi exequenda commisimus in regno Francorum utiliter te poteris expedire, cum venerabili fratre nostro Praenestino Episcopo apostolicae sedis Legato ad partes Germaniarum accedas, cum eo iuxta formam litterarum nostrarum pariter processurus, cum non videatur alius locus idoneus in quo Principes ad tuam deberes praesentiam convocare. Nolumus tamen ut hac occasione causas legationis iunctae negligenter omittas; cum etsi magna sint ista, illa tamen non debeant minima reputari. In omnibus autem occultè procedas & cautè, sicut de tua fidelitate confidimus & speramus. Datum.

ILLVSTRI REGI  
*Anglorum.*

Epist. 49.

**Q**uod promotio carissimi in Christo filij nostri illustris Regis Ottonis nepotis tui in Romanorum Imperatorem electi ad tuum pertinet incrementum, & exaltatio ejus tibi proveniat ad honorem, nullus dubitat sanae mentis. Cum enim de domo descenderit Anglicana, & usque adeo te proxima linea consanguinitatis attingat ut etsi alios consanguineos habeas & propinquos, nullum tamen propinquiorem habere noscaris, ad promovendum negotium ejus tanto libentius deberes tam res exponere quam personam quanto genus tuum facilius magnificare potes in eo & per eum amplius extendere memoriam tui nominis & tibi perpetuae laudis titulos comparare. Nam etsi, quod non credimus, ingratitude vitio laboraret, nec vellet tuis meritis respondere, negari tamen non posset quin saltem honorem nominis participaretis adinvicem, dum & tu dicereris tanti Principis

XX xx ij